

errorem hunc ex orcō superiori seculō revocarunt, item Quakeri hodierni in Angliā, docent: non esse peculiare creaturas, qui vocentur Angeli: Sed si quando DEUS exerat suam potentiam ad puniendum vel nocendum, hoc vocari malum Angelum: bonum contra Angelum appellari, si quando DEUS nos custodiat ac conservet. Et sanè loca scripturæ, quæ adduci solent pro creatione Angelorum suas habent difficultates, præsertim quod attinet locum ex Psal.

104. v. 4.

עָשָׂה מְלָאכָיו רוּחוֹת מִשְׁתֵּי אֱשֵׁ לְהֵט

Faciens Angelos suos Spiritus, Ministros suos ignem flagrantē.
Quæ verba solent dupliciter explicari. (1) ut רוּחוֹת Spiritus accipiatur de Ventis & flatibus, & nomen Spiritus stet loco subjecti, Angelus autem loco prædicati. h. e. facit Angelos Spiritus. i. e. facit, ut venti s. flatus sint ministri ejus, & scilicet jussa ejus exequantur. Item, facit Ministros suos flammam urentem, i. e. facit ignem Ministrum suum, vel ministeriō ignis utitur. Et putant quidem Psaltem respicere eò, quod DEUS, quando arduum aliquod opus in terris peragere vult, sæpenumerò ventorum ministeriō utatur, sicut patet de Pharaone, cum venti præcipitarent eus currus in mare. Similiter v. gr. ignis ministeriō usus est, in puniendis Sodomitis: stante hæc explicatione locus hic de creatione Angelorum explicari nequit. Alii verò explicant locum hunc de Angelis, putant autem, quod David h. l. non loquatür de creatione eorundem, sed potius de eorum ordinatione ad officia; ipsorum originem præsupponi potius, quàm h. l. significari, & hi ita textum explicant: Faciens Angelos suos vel. ces ut ventos, ut celeriter expediant mandata, & tanquam urentes flammæ, ut potenter exequantur jussa, sicut flamma omnia penetrat, omnia consumit. Alii verò explicant locum hunc de crea-
B tione